

**www.e-rara.ch**

**Disputatio theologica trigesima prima de peccato**

**Zwinger, Johannes**

**Basileae, [ca. 1681]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-26053>

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO THEOLOGICA  
TRIGESIMA PRIMA

de

# PECCATO.

*Qua est*

DE CAUSA IMPULSIVA REPROBATIONIS  
QVINTA.

*Quam,*

Θεὸς τρισεβελτίς τε Bonθάντ &c,

PRÆSIDE

JOHANNE ZVINGERO,

S.Theol.Doct. & Vet. Test. Professore Ord.

Vniversitatis p.t.Rectore,

*Publico Eruditorum Examini submittit*

M. REMIGIVS MEYERVS,  
Basilienfis.

*Ad diem 31. Decembr. Anno M. DC. LXXXI.*

*Loco horisque confvetis.*



BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHL.





*Veneranda Facultatis Theologica in Academia*

*Basiliensi Prostat,*

*Trigæ Virorum celeberrimæ,*

D. JOHANNI ZVINGERO, SS. Theol. D. Vet.  
Test. Profess. solidissimo, & p. t. Vniversitatis Rectori  
Magnifico;

D. PETRO WERENFELSIO, SS. Theol. D. Loc.  
Commun. & Controv. Prof. acutissimo, Ecclesiæ Cathedra-  
lis Pastori & Antistiti Vigilantissi. Ordinis Theol.  
p. t. Decano Dignissimo;

D. RODOLPHO WETSTENIO, SS. Theol. D.  
Nov. Test. Prof. famigeratissimo, Ord. Sen. devenerando;

Præceptoribus, Promotoribus suis humili obsequio colendis:

*Vr &*

*Viro Nobilissimo, Consultissimo*

D. NICOLAO HARDERO, J. V. D. Fori Judi-  
cialis Patrij Prætori Prudentissimo, Agnato & Fautori  
plurimum observando;

*Insuper*

*Viris plurimum Reverendus, Excellentissimis, Clarissimis,*

D. M. DANIELI SCHÖNAVERO, Eccl. Sissa-  
censium Pastori longè meritissimo, Diœceseos Varnspur-  
gensis Decano spectatissimo, Agnato & Evergetæ æter-  
nùm suspiciundo;

D. JOH. JACOBO HARDERO, Phil. & Med. D.  
P. P. & S. R. I. Acad. Nat. Cur. Socio;

D. M. JACOBO RÜDINO, Phil. Pract. Prof. Solidif.  
Agnato & olim Præceptori omni honoris cultu & ob-  
sequio ætatem colendo;

D. M. HIERONYMO GEMVSÆO, Eccl. in pa-  
go Benkheim Pastori fidelissimo, Avunculo plurimum  
honorando,

*Hanc Disputationem in æternum submisisse mentis testimonium, & perpetuæ  
sue observantiæ monumentum, cum pio omnigenæ felicitatis voto,  
dat, dicat, consecrat*

RESPONDENS.



Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO THEOLOGICA  
TRIGESIMA PRIMA

de

P E C C A T O.

*Instant. 10. Deum quidem Voluntate consequente velle quosdam solum Homines salvos fieri. Hoc tamen non obstare, quo minus, juxta Paulum, Voluntate antecedente omnes & singulos Homines servari velit.*

*Resp. Priusquam ad hanc Instantiam respondeatur, dispiciendum, quid Adversarij, Lutherani nimirum, cum quibus in præsentī nobis res erit, per Antecedentem & Consequentem Voluntatem intelligant. Illam, nempe Antecedentem, definiunt, quā Deus bene velit toti Hominum generi, sive omnibus Hominibus, missō in hunc Mundum Filio, & per prædicationem Evangelij manifestato & oblato, eum in finem, ut per fidem in ipsum salvi fiant. Hanc, sc. Consequentem dicunt esse, quā Deus credentes in Christum recipiat & salvet, incredulos autem & pœnitere nescios justè punit. Discrimen inter utramque constituunt in seqq. 1. Antecedentem Voluntatem, ajunt, esse meræ Misericordiæ. Consequentem verò esse judiciariam, conferentem obsequentibus vitam æternam, morosè autem & contumaciter resistentes æternis cruciatibus adjudicantem. 2. In Antecedente Voluntate, ajunt, obtinere dilectionem erga totum Genus Humanum, Joh. 3. 16. 1. Joh. 4. 10. In Consequente verò dilectionem complacentiæ erga obsequentes Filios, quæ fidelibus promittatur, Joh. 14. 21. 24. 3. Antecedentem Voluntatem, ajunt, respicere omnes Homines æqualiter: Consequentem vel ut fideles, vel ut infideles. 4. Antecedens Voluntas, juxta Adversarios, stabilitur in Dei consilio de mittendo in Mundum*



Filio, & per Evangelium manifestando, eo fine, ut Homines in ipsum credant & salvi fiant. Stabilitur, inquam, in ordine mediorum, à Deo ad salutem constitutorum, nempe in missione Filii (quo nomine totum Christi Officium complectuntur) & Vocatione per Evangelium. *Consequens* verò respicit Homines, prout consilium illud Dei, in Evangelio propositum, vel per fidem amplectuntur, vel per incredulitatem abjiciunt. 5. *Antecedentem* Voluntatem, ajunt, nullam in Homine invenire conditionem *positivam*, neque ex propriis viribus præstitam, neque aliunde introductam: *Consequentem* verò jam invenire vel fidem, vel positivam atque contumacem reluctantiâ. 6. *Antecedentis* Voluntatis effectum volunt esse liberationem à peccatis & morte: *Consequentis* verò Prædestinationem, sive Electionem, & Reprobationem. 7. *Antecedens* Voluntas, secundum doctrinam Adversariorum, est *conditionata*, suspensa nimirum à conditione fidei & resipiscentiæ: *Consequens* verò *absoluta*.

His præmissis dico,

1. Distinctionem hanc redolere *Pelagianismum*, esseque in Deum Opt. Max. multis modis injuriosam. Id quod probo seqq. rationibus.

*Ratio. 1.* Quia duas contrarias in Deo ponit Voluntates, alteram, quæ corrigitur, alteram, quæ corrigit. Voluntate enim *Antecedente*, dicunt, Deum serio & ardenti desiderio velle omnium & singulorum Hominum salutem, ac propterea largitione mediorum, ad salutem sufficientium, quantum in se, omni nisu & conatu salutem eorum promovere & procurare: Voluntate verò *Consequente* Deum paucorum solum salutem velle, quia non omnes, sed quidam solum media salutis oblata acceptent, sibi que per fidem applicent.

Regerunt: Nullam inter has duas Voluntates esse contrarietatem, quia Deus non velit absolute, omnes homines salvos fieri, sed eo ordine, ratione & modo, ut audiant Evangelium, & in Christum credant. Qui hunc ordinem sequantur, Deum etiam Voluntate *Consequente* velle salvos fieri; qui verò non sequantur, mirum non esse, si Deus Voluntate *consequente* non velit salvos fieri, sed potius damnari.

*Resp. 1.* Contrarietas non tollitur. *Ratio:* Quia, juxta Adversarios, Deus Voluntate *Antecedente* serio & ardenter expectit, desiderat & vult omnium Hominum salutem, in eumque finem



finem misit Filium suum, qui pro toto genere Humano satisfaceret, omnibus & singulis per Ministerium Verbi & Sacramentorum offert gratiam, remissionem peccatorum & vitam æternam, eosque mediis salutis sufficientibus instruit, aded ut à parte Dei nihil ampliùs requiri possit, ad salutem Hominibus procurandam, & nisi Homines petulanter obicem ponerent, salvarentur: Voluntate verò *Consequente* Deus non desiderat ampliùs omnium Hominum salutem, sed solum eorum, qui voci Evangelij parent & in Christum credunt, reliquos verò vult damnari. 2. Quæro ab Adversarijs, quando dicunt, Deum Voluntate *Antecedente* velle omnes & singulos Homines salvos fieri, sub conditione, si media salutis ipsis oblata per fidem sibi applicent, & Gratia Divinae obicem non ponant, an Deus *velit* hanc conditionem evenire, an verò *non velit* evenire, aut denique, an eam *neq<sub>3</sub> velit, neq<sub>3</sub> non velit* evenire. Si eam *vult evenire*, hoc vult vel *absolute*, vel *cum conditione*. Si *absolute*, ergo ea efficietur in omnibus, & sic omnes & singuli Homines non solum per Evangelij præconium ad cognitionem veritatis venient, & media salutis oblata per fidem sibi applicabunt, sed & salvi fient, quia quicquid Deus vult, illud facit, *Psal. 115. 3.* & Voluntati ejus nemo resistere potest, *Rom. 9. 19.* Deusque non Voluntate aliquâ *Antecedente* & *conditionatâ*, sed *Consequente* & *absolute* vult omnium & singulorum Hominum salutem. Si *conditionatè*, ferrea reciprocabitur per eandem lineam, & quæstio redibit de hujus conditionis conditione, dabiturque hoc modo progressus in infinitum. Quod si verò Deus hanc conditionem *non vult evenire*, non vult etiam omnium & singulorum Hominum salutem, & sic cadit Voluntas *Antecedens*. Velle enim finem, & nolle media necessaria, sine quibus finis obtineri nequit, est frustra velle, quod de Deo dicere blasphemum. Quod si denique Deus hanc conditionem *neq<sub>3</sub> vult neq<sub>3</sub> non vult evenire*, sequitur, eum nihil curare, an ea impleatur, vel non impleatur, eveniat, vel non eveniat. Si hoc, quomodo potest dici curare id, quod absque hac conditione obtineri nequit, nim. Hominis salutem. Qui enim non curat media, non curat finem, & qui finem non curat, quoque non curat media, ad finem obtinendum necessaria, cum individuus inter utraque sit nexus.



*Ratio. 2. Quia arietat in Dei Independentiam, docens, Dei*  
Voluntatem dependere à nonnullis, quæ ipse non decrevit.  
Sententia enim Adversariorum est, Deum velle omnium &  
singulorum Hominum salutem sub conditione, si media salu-  
tis oblata amplectantur, gratiæque Dei obicem non ponant.  
Jam rursus quæro ab Adversariis, an Deus velit, ut omnes &  
singuli Homines hanc conditionem impleant, an non. Si  
dicant, quòd *nolit*, sequitur, Dei Voluntatem dependere à  
conditione, à Deo non decreta. Sin verò statuunt, quòd *velit*,  
dicant rursus Adversarii, an Deus velit, ut omnes & singuli  
Homines hanc conditionem impleant suis viribus, an verò  
viribus, quas ipse illis esset subministraturus. Si *prius* asserant,  
sunt *Pelagiani*, quoniam Homini in statu peccati tribuunt libe-  
rum arbitrium ad bonum & malum. Sin verò doceant *poste-  
rius*, sequetur, Deum decrevisse, motu suo omnipotenti obicem  
morosum tollere, Hominem convertere & salvare. Si hoc,  
*α.* Omnes & singuli Homines salvi fient, cum Voluntas Dei  
nunquam non impleatur, *Jes. 46. 10.* *β.* Deus non Voluntate  
aliquà *Antecedente* & frustraneâ, sed *Consequente* & efficaci  
omnium & singulorum Hominum salutem vult, quorum ta-  
men utrumque juxta Adversarios ipsos est falsum.

*Ratio. 3. Quia subvertit Dei Immutabilitatem. Quod si*  
enim Deus Voluntate *Antecedente* vult omnium & singulorum  
Hominum salutem sub conditione fidei & resipiscentiæ, dein-  
de verò positâ vel non positâ conditione Voluntas hæc *Ante-  
cedens* transit in *Consequentem*, ut docet *Danhauerus, Hodos. Christ.*  
*Phen. 7. p. m. 531.* quâ Deus non omnium & singulorum Homi-  
num, sed solum eorum vult salutem, qui conditionem hanc  
impleverunt, reliquorum verò vult damnationem, vel cæcus  
palpat, Immutabilitatem Dei funditus hoc modo subverti,  
cum per *Consequentem* Voluntatem *Antecedens* planè rescinda-  
tur, quicquid demùm *οὐ ἐξ ἐναντίας* ogganniant.

*Ratio. 4. Quia è diametro pugnat cum Dei Omnipotentia*  
& infinita Perfectione, dum Deo affingit imbecillia vota, vel-  
leitatem inefficacem, desideria frustranea, Humanisquæ affe-  
ctibus eum imbuunt, contra querelam Apostoli, *Rom. 1. 23.* Fin-  
gunt enim, Deum affectu seridè misericordie, nostræque salutis  
cupido, & immoto Voluntatis decreto, verè velle, decernere  
& in-



& intendere omnium & singulorum Hominum salutem, eamque summo nisu, studio & conatu promovere in tantum, ut si directè & perveraciter Hominum perversa & prava voluntas in contrarium non niteretur, certò pervinceret. Cùm verò ob obicem, qui à maxima parte Hominum ponitur, non pervincat, adeoque omnes & singuli salvi non fiant, necessariò sequitur, Deum aliquid velle, quod non fit, inefficacemque in eo esse Voluntatem. Hoc autem in infirmos quidem Homines cadit, qui media, ad obtinendum finem necessaria, non semper habent in sua potestate, adeoque spe suâ sæpè excidunt, intentioneque frustrantur, non verò in Deum Omnipotentem & summè perfectum, à quo & finis & media in solidum dependent, quique proin spe suâ excidere, intentioneque frustrari nequit, *Jes. 46. 10. Eph. 1. 11.*

*Regerunt. I. Non semper evenire, quod Deus vult, sed si Deus Omnipotentia suâ uti vellet, non posse non evenire. Desiderium Medici in agrote curando nequaquam esse inefficax, licet non semper sequatur sanitas.*

*Resp. I. Non semper evenire, quod Deus vult, directè contrariatur S. Scripturæ, & nominatim locis allegatis, Psalm. 115. 3. Jes. 46. 10. Rom. 9. 19. Eph. 1. 11. 2. Quæro ab Adversariis, qui fiat, quòd non omnia, quæ Deus vult, eveniant. Ajunt, quia Deus non semper velit uti Omnipotentia suâ. Atqui. α. Quicquid Deus vult, id quoque Omnipotentia suâ efficit. Non enim separanda ejus Voluntas ab Omnipotentia, quæ S. Scriptura tam constanter conjungit. β. Hæc responsione Adversarii fucum solùm faciunt Lectori. Causa enim, cur non omnes veritatem Evangelii amplectantur, & media salutis oblata per fidem sibi applicent, juxta illos, non est, quòd Deus Omnipotentia suâ in Hominis conversione non utatur, sed malitia Hominum, omnipotenti Dei operationi resistentium, & obicè ponentium. Nam, secundum eorum doctrinam, efficax est hæc Voluntas Dei, non nuda velleitas otiosa, sed operosa, quâ omnium in universum Hominum salutem summo studio, nisu atque conatu, per humanam tamen contumaciam resistibili, promoveat & procurat, dum trahit, *Joh. 6. v. 44. agit & ducit homines, etiam reprobos, Rom. 2. v. 4. tam efficax est, ut nihil supersit amplius faciendum, quod non fecerit Deus vinea sua, Jes. 5. v. 4. ut homines non nisi de propriis suis peccatis murmurandi causam habeant, Thren. 3. v. 39. Verba sunt Doct. Joh. Adami Osiandri, Disp. de Voluntate**



*luniate Dei Antecedente, Thef. 24. p. 11. & Th. 21. p. 10. Quo affectu tam serio, inquit, hominum salutem vult, ut nisi directè & pervicaciter convertendorum prava & perversa voluntas in contrarium niteretur, certò pervinceret. 3. Medici quidem desiderium in ægroto curando concedo quandoq; esse efficax, quando nimirum finem intentum, restitutionem scilicet sanitatis ægroti, obtinet: quando verò scopum suum non assequitur, quomodo efficax dici possit, non video. Efficax enim dicitur ab efficiendo. Cum ergo desiderium Medici id, quod intendit, non efficit, quomodo, quæso, hoc in casu efficax dici potest?*

*Regerunt. 2. Non omne desiderium, omnemq; velleitatem arguere imperfectionem, sed eam solùm, quæ ad nostrorum ipsorum, non ad aliorum bona spectat, & ubi si ea, quæ desiderantur, non eveniunt, id sit citra desiderantis culpam.*

*Resp. Quasi verò. Pertinet enim, si non ad culpam, saltem ad impotentiam Magnatum & Parentum, si non consequantur id, quod volunt pietatis & officii in suis subditis aut Filiis: & sive tuâ, sive alienâ culpâ fiat, ut non consequaris, quod optas circa eos, quibus impensè faves, id nequit evenire citra aliquam animi ægritudinem, ac felicitatis immutationem, quâ te in eo minùs benè fortunatum, minùsque beatum deprædices. Hoc autem nullam importare imperfectionem, quis, quæso, sani syncipitis sibi persuadebit?*

*Regerunt. 3. Scripturam ipsam velleitatem, vota, desideria inefficacia Deo tribuere, argumento locorum, Psal. 41. 18. Jes. 48. 18.*

*Resp. 1. Postulatum est falsum. Neque id è locis citatis solidè concluditur, utpote quæ non sunt ita intelligenda, quasi Deus ejusmodi passionibus & affectibus sit obnoxius, & in eo propriè dicta vota & desideria locum habeant, quoniam hoc Dei infinitæ Perfectioni, Beatitudini, Potentiæ & Sapientiæ è Diametro repugnat. Vota enim & desideria ejusmodi. α. Arguunt in optante & desiderante imperfectionem & carentiam omnibus numeris absolutæ beatitudinis, dum indignant, eum non possidere eas res, quas desiderat, animique quodam languore & cruciatu esse correptum. At Deus est perfectissimus, El Schaddai, summè beatus, omnia in se ipso possidens, nullius rei indigus, omnis boni compos, & ejusmodi perturbationum animi expers. β. Arguunt in optante & de-*  
*siderante*



fiderante impotentiam, quia sunt earum rerum, quarum ac-  
 quisitio non est in nostra potestate. At Deus est omnipotens,  
 cujus omnipotentiam nihil effugere potest, 2. *Chron.* 20.6. *Luc.* 1.  
 37. *Phil.* 3. 21. γ. Sunt rerū etiam incertarū, in quarum desideri-  
 is animus pendet & fluctuat, ac propriè arguunt in desideran-  
 te & optante scientiæ defectum. At Deus est omnisciens. *Nota*  
*enim ei sunt ab aeterno omnia opera sua, Act.* 15. 18. Imò omnia sunt nuda  
 & patentia oculis ipsius, *Hebr.* 4. 13. Ideoque non est, quòd incer-  
 tis desideriis eum fluctuare putemus. *N.* Sunt rerum non prae-  
 sentium, sed absentium. At Deo omnia sunt praesentia. ε. Sunt  
 rerum futurarum, quandoque etiam praeteritarum. At Deo  
 propriè nihil est futurum vel praeteritum, sed omnia praesen-  
 tia. 5. *Johannes Crellius, Lib. de Deo & ejus Attrib. Cap.* 31. p. m. 579.  
 addit, desiderium propriè dictum versari circa res jucundas, si-  
 ve circa bonum jucundum. At Deus bono jucundo, quod est  
 rationis inferioris, non capitur, sed solùm honesto, quod a-  
 pud nos Homines rationi superiori objicitur.

2. Quando ergo S. Scriptura in locis citatis ejusmodi  
*motivis & optativis* formulas Deo tribuit, id facit *ἀνθρωπινῶν*  
 metaphorā ab Hominibus desumptā, quibus tales formulæ  
 sunt familiares, argumento locorum, *Jud.* 9. 29. 2. *Sam.* 18. 33.  
*Job.* 6. 8. & 11. 5. Exprimitur autem & commendatur illis Dei  
*φιλανθρωπία*, referendæque sunt ad Voluntatem Dei non bene-  
 placiti, sed signi, non decreti, sed praecepti, ita ut Deus dicatur  
 optare conversionem nostram, media omnia externa ad Con-  
 versionem nostram adhibendo, Verbo suo nos serid, & in ge-  
 nere praecepti valde efficaciter ad eam invitando, quid nostri  
 sit officij monendo, quod præmium obedientibus sit exspe-  
 ctandum, quæque poenæ inobedientes & refractarios ma-  
 neant, ostendendo, denique Conversionē Hominis, tanquam  
 rem bonam, sibi que placentem, probando &c. Quemadmo-  
 dum enim Homines ex eo, si omnia media externa adhibe-  
 ant, ad aliquid promovendum, illud maximè judicantur ex-  
 petere; sic etiam propterea, quia Deus omnia media ex-  
 terna Hominibus proponit, propter similitudinem effecti  
 hujus cum effectibus Hominum, aliquid expetentium, *ἀνθρώπων*  
 dicitur desiderare eorum conversionem, & dolere propter  
 hoc, quòd conversi non sint.



Regerunt. 4. *Etiam secundum Theologos Reformatos Voluntatem Dei approbantem & jubentem non semper impleri.*

Resp. 1. *Voluntas Dei approbens minùs propriè Voluntas vocatur, quoniam approbatio, sive complacentia, est actio mentis, sive intellectus, non verò voluntatis. Hinc non omnia, quæ quis probat, quoque vult. Non si approbo aliquam sententiam Solonis, aut actionem Aristidis, inde sequitur, me eam velle, aut eam me volente dictam aut factam esse; verba sunt Molinæi, Disput. I. de Volunt. Dei, Thes. 21. p. m. 105. 2. Concedo, præcepta Dei, quibus præcipit ea, quæ approbat & grata habet, ubi sunt à Creaturis, non semper impleri: ast α. Nego, præcepta Dei propriè esse & dici debere Voluntatem Dei, cum solummodò sint signum Voluntatis, non semper quidem ejus, quâ Deus quoad eventum vult fieri id, quod præcipit, sed interdum solum ejus, quâ vult creaturam rationalem ad hoc vel illud agendum obligare. Hinc quoque β. Nego, non impletionem præceptorum divinatorum arguere in Deo Voluntatem inefficacem. Ratio: quia Voluntas Dei semper impletur, sive homo præceptis Divinis morigerum se præbeat, sive non. Si prius, impletur Voluntas Dei, quam vult actu ipso, & quoad eventum, ab Homine fieri id, quod ei præcipit, & idèd ei dat gratiam sufficientem id præstandi. Si posterius, impletur Voluntas Dei, quâ per præcepta sua solum vult obligare hominem ad officium faciendum, viam salutis ei monstrare, eumque tandem, si se præbeat immorigerum, coram justissimo suo tribunali reddere ἀναπολόγητον, &c.*

Regerunt. 5. *Multa non fieri, quibus Deus delectatur. Dari ergo in Deo velleitatem inefficacem.*

Resp. *Consequentia est nulla. Ratio: Quia hîc non agitur de delectatione, sed de executione. Tum delectari Deus dicitur, vel non, impropriè & figuratè, propriè verò velle aut nolle: quare ab illo ad hoc non est temerè procedendum, ut licet non fiat semper, quo Deus delectatur, semper tamen fiat, quod vult, nunquam, quod non vult, quia eo invito nihil fieri potest, ejusque Omnipotentia subservit, si fas sit ita loqui, non ejus delectationi, sed ejus Voluntati.*

*Ratio. 5. Quia pugnat cum Dei Omniscentia & Sapientia infinita. Si enim Deus vult Voluntate Antecedente omnes & singulos*

gulos homines salvos fieri, modò voci Evangelii aures præbeant, veritatem, in Verbo manifestatam, amplectantur, & media salutis oblata per fidem sibi applicent, aut *scit* plerisque hoc non facturos, aut *nescit*. Si *posterius* non est omniscius. Si *prius* est insipiens. Nam ne sapiens quidem Homo aliquid vult sub conditione, quam scit, nunquam implementum iri, & quidem idèd impletum non iri, quia eam efficere non vult.

Si dicant, *Deum non semper ex præscientia finem sibi proponere.*  
*Resp.* Hoc esse falsissimum, & in Deum omniscium summè contumeliosum. Nam *α.* sequetur, Deum non semper uti Scientiâ suâ, sed cæco impetu naturæ quandoque nonnulla desiderare, petere, optare, ut, an ea sit obtenturus, ad animum non revocet. Quid autem hoc aliud est dicere, quàm Deum se ad tempus posse exuere Omniscientiâ suâ, semetque ipsum abnegare? *β.* Deus hac in parte non erit nobilior Homini-  
minibus, qui sæpissimè quoque multa desiderant, priusquam sciunt, an ea sint assecuturi, vel non.

*Ratio. 6.* Quia pugnat cum Dei *Beatitudine*. Dicunt enim Adversarii, Deum seridè, & cum immoto Voluntatis decreto, affectu seridè misericorde, nostræque salutis cupido, verè velle, desiderare, decernere & intendere omnium & singulorum Hominum salutem, eamque summo studio, nisi & conatu promovere ac procurare, ut à parte Dei nihil amplius requiri possit. Quoniam autem hic Dei nifus & conatus, juxta Adversarios, est resistibilis, & maxima pars hominum ei actu ipso resistit, hinc fit, ut Deus desiderii & voti sui non fiat compos. Jam verò is absolutè beatus dici nequit, qui ad ardentis sui desiderii impletionem pervenire nequit, licèt adhibuerit media omnia, ad obtinendum finem necessaria.

*Ratio 7.* Quia arietat in Dei *Justitiam*, dum docet, Deum omnes & singulos Homines velle salvos fieri, illos etiam, de quibus Scriptura dicit, quòd eos *nunquam noverit*, *Math. 7. 23.* Namcùm Voluntas ista *Antecedens* respiciat omnes Homines ut peccatores, & præterea non fundetur in merito Christi, iusta esse nequit, nisi velimus dicere, extra Christum quoque ab Homine peccatore obtineri posse salutem eternam,



contra expressam Scripturam, Act. 4. 12. Si dicant, *Voluntate Dei Antecedentem antecedere Dei Justitiam, & ex se formaliter non esse vel justam, vel injustam, sed benevolam & naturalem.* Resp. 1. Hanc ratione Adversarios statuere in Deo Voluntatem, omnis scientię, sapientię & justitię expertem, Verum hoc nihil Deo indignius concipi potest. 2. Falsum est, Voluntatem hanc neq; esse justam, neq; injustam. Jam enim probatum, eam esse injustam. Cum enim Homo peccator reatui mortis æternę subjectus sit, & Deus, cui Justitia vindicativa est naturalis, absque interveniente Sponsoris Auctoritate, ei peccata condonare, & hæredem vitę æternę pronunciare nequeat, certè illa Dei Voluntas injusta censenda est, quā Homini peccatori extra Christum ferio vult, decernit & intendit salutem. Si insistent & dicant, *Voluntatem Antecedentem non excludere Christi meritum, quia eā Deus velit omnes & singulos Homines salvos fieri per fidem in Christi meritum & satisfactionem;* Resp. 1. Ast quomodo hoc Deus potest dici velle, cum probè sciverit, eos nunquam credituros, quia per omnipotentem Spiritus S. operationem Fidem salvificam in illis nunquam sit operaturus. 2. Dum Voluntatem Dei liberare fatagunt ab *Injustitia*, eam accusant *Insapientia* & *Impotentia*. Quis enim sapiens desiderabit aliquid ab aliquo, quod scit se non obtenturum, & ided id non obtenturum, quia ei vires ad id præstandum nunquam sit concessurus? Et quī Deus Omnipotens vocari potest, si ferio vult, intendit ac desiderat, ut omnes & singuli Homines credant & salventur, hoc autem ab omnibus & singulis non impetrat, non ob defectum virium à se illis concessarum, sed ob malitiam Hominum, summo Dei nisui & conatui resistentium & obicem ponentium? 3. Sed nec hanc Instantiā Voluntas Dei *Antecedens* ab *Injustitia* plenè liberatur. Docent enim, Deum velle, ut omnes & singuli Homines Christum cum omnibus suis beneficiis sibi applicent, & credant, eum in passione & morte omnium & singulorum Hominum personas repræsentasse, & sic non solum electos, sed & reprobos credere debere, Christum pro se mortuum esse. Ast. a. Quo Justitię colore Deus hoc velle potest, cum Scriptura S. Christum mortuum esse dicat solum pro Ecclesia sua, Eph. 5. 25. pro populo suo, Matth. 1. 21. pro ovibus suis, Joh. 10. 15. & pro iis, quos Deus Pater Filio dedit, ut  
ipfis



ipsis daret vitam æternam, *Joh. 17. 2. β.* Si Christus in passione & morte sua non solum electorum, sed & reproborum personas repræsentavit, & pro his etiam *Ἀντὶ τοῦ* Deo Patri persolvit, injustus est Deus, quodd pœnas ab ipsis exigit, pro quibus tamen sibi jam erat satisfactum : hoc enim est duplicem solutionem petere & acceptare.

*Ratio 8.* Quia adscribit Deo Voluntatem indeterminatam, suspensam & incertam, tam diu fluctuantem & pendentem, donec conditio, sub quâ aliquid Deus antecederet vult, vel impleatur, vel infringatur, quo in casu Voluntas *Antecedens* rescinditur, & transit in *Consequentem*. Licet enim affectus Dei generalis erga omnes Homines non statuatur pendere ab Humana Voluntate, incertus tamen est ejus effectus, donec Deus *Consequente* Voluntate hunc vel illum servare decreverit, quæ Voluntas *Consequens* fundatur in Hominis vel fide, vel incredulitate.

*Ratio 9.* Quia si Deus Voluntate *Antecedente* vult omnes & singulos Homines servari sub conditione, si credant, pari jure & veritate dici potest, Deum nullos omnino Homines velle servari, si vid. nemo ex illis credat, & resipiscentiam agat. Nam ut omnis, qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam, sic ira Dei manet super omnem inobedientem, *Joh. 3. 16, 36.* Dices: *Consequentiam esse nullam, quia Voluntatis Antecedentis objectum sit bonum solum Creaturæ, pœnam verò peccatorum, licet sit bonum justitiæ, tamen non esse bonum, sed malum Creaturæ.* Resp. Postulatum est falsum. Naturaliter enim Deus amat, appetit & vult non solum bonum creaturæ, sed & bonum Justitiæ suæ. Amat enim necessariò suam Justitiam, ideoque quando vult, ut omnes & singuli, si credant, & resipiscentiam agant, salventur, manet, stantibus principiis Adversariorum, Velleitas *Antecedens*, quâ Deus perdi vult omnes, si non credant & resipiscant. Et eo magis hoc sequitur, quoniam Voluntas *Antecedens* respicit Homines simpliciter ut peccatores, non ut credituros, vel non credituros, obediētes, vel non obediētes. Posito autem peccato, Deus non potest non velle illud punire, cum, ut suprà jam monitum, Justitia vindicatrix ei sit naturalis, sive essentialis.

*Ratio 10.* Quia hæc distinctio ponit in Deo Voluntatem aliquam temporalem, quæ non sit æterna. Ajunt enim Ad-



versarii, Voluntatem *Antecedentem* positâ conditione transire in *Consequentem*. At conditio ponitur in tempore, & quidem in ultimo demum vitæ Hominis articulo, quoniam, juxta ipsos, fides salvifica est amissibilis. Non potest ergo Deus Voluntate *Consequente* velle Homines servari, priusquam scivit, eos credituros, & in fide perseveraturos. At hoc demum in ultimo Vitæ eorum momento, salvis Adversariorum principiis, sciri potest, quoniam ante illud fides semper est amissibilis. Si dicant Adversarii, Deum hoc præcivisse ab æterno ex suo decreto, quo decreverit Hominibus quibusdam fidem & perseverantiam in ea largiri. Resp. 1. Hoc ab Adversariis dici non posse, quoniam, juxta eorum doctrinam, Homines electi fidem totaliter amittere possunt, Ex: Davidis, Petri, &c. Imò, quando eam quandoque amittunt, & de novo in illis accenditur, tunc Dei omnipotenti operationi resistere, & in suâ incredulitate perseverare possunt. 2. Si Deus ab æterno decrevit Hominibus nonnullis Fidem & perseverantiam in ea largiri, ergo non Voluntate aliquâ *Antecedente* & *Conditionatâ* vult eorum salutem, sed Voluntate *Consequente* & *absolutâ*. Qui enim non solum vult finem, sed & media omnia, ad finem necessaria, finem vult *absolutè*. Nec est, quod porro dicant, utrumq; locum habere. Deum enim primum Voluntate *Antecedente* & *Conditionatâ* velle, ut omnes serventur, sub conditione, si credant: deinde verò Voluntate *Consequente* & *Absolutâ*, positâ conditione in æterno suo decreto; Nam  $\infty$ . Sic Voluntas prior rescinderetur, & mutaretur, quod *Immutabilitati* Dei è diametro repugnat.  $\beta$ . Sic Deus ab æterno *absolutè* decrevisset, quosdam Homines servari, illique non possent non salvi fieri. Si hoc, cur docent, Homines electos Gratiâ Dei posse excidere, & in æternum perire?

Ratio II. Quia distinctione hâc Electio Hominis statuitur sequi Voluntatem Humanam, & ab ea tanquam effectus à sua causa dependere. Docent enim Adversarii, *Consequentis* Voluntatis effectum esse prædestinationem & reprobationem. Hanc autem dicunt invenire in Homine vel Fidem, vel *positivam* & *contumacem* reluctantiam, in eaque fundari. Absurda certè doctrina, per quam ab humana Voluntate Electio Hominis suspenditur, & Fides nostra causa Electionis nostræ statuitur, non fructus.

Ratio.

*Ratio 12.* Petitur à plurimis erroribus, partim ex hac distinctione fluentibus, partim eam comitantibus, ex parte supra jam recensitis. Quales sunt.

α. Deum sine inrento frustrari posse. Dicunt enim, Deum Voluntate *Antecedente* decrevisse, Filium suum in hunc Mundum mittere, & per Evangelium manifestare, eo fine, ut omnes & singuli Homines in ipsum credant, & salventur. Atqui hoc fine Deus frustratur.

β. Hominem posse irritam reddere Dei Voluntatem. Nam, juxta Adversarios, Homines consilium Dei, in Evangelio propositum, abjicere possint. Per consilium autem Dei intelligunt non Voluntatem solùm *Signi*, sed & *Beneplaciti*, ut docet Osiander, *Disp. cit. Thesi 23. p. 10.*

γ. Dari Decreta *conditionata*, ab actibus Humanis pendentia. Docent enim, Deum Voluntate *Antecedente* velle omnium & singulorum Hominum salutem, sub conditione, si in Christum credant, & Gratiae Divinae obicem non ponant. *Antecedentem* autem Voluntatem esse decretum, docet Osiander *Disp. alleg. Thesi 21. p. 10.*

δ. Electionem Hominis ad vitam æternam pendere ex Fide prævisa, cùm tamen Fides sit fructus, non causa Electionis, *Act. 13. 48.*

ε. Liberum Hominis Arbitrium ad bonum & malum in statu peccati. Docent enim, vi Voluntatis hujus *Antecedentis*, licet quoad modos communicandi Deus inæqualiter Misericordiam suam dispenset, ut non omnes eodem modo vocet, quo vocavit Paulum, *Act. 9.* eandem tamen apud omnes & secundum substantiam suam atque efficaciam esse illam Gratiam *vocantem*. Hinc quæro ab Adversariis, quid fiat, quod quidam, quibus hæc Gratia obtingit, credant, alii non credant. Quosdam non credere, ajunt, quia Gratia huic resistant, illique obicem ponant. Jam rursus quæro ab Adversariis, quid fiat, quod nonnulli obicem non ponant. Non possunt id tribuere Gratia novæ, reliquis, obicem ponentibus, non concessæ, quia falsum esset, quod dicunt, eandem quoad substantiam & efficaciam esse Gratiam hanc *vocantem* apud omnes, Deumque ita promovere omnium & singulorum, etiam reproborum Hominum salutem, ut ex parte ipsius  
nihil



nihil ulterius possit requiri. Reliquum ergo est, ut id adscribant meliori horum Hominum naturali dispositioni, liberoque, eorum arbitrio, cuius usui Gratiā *sufficientem* cum *Remoſtrantibus* subjiunt, quomocunque tandem se velint excusare.

5. Amor Dei *ſpecialis* erga omnes & ſingulos Homines, univerſale Chriſti meritum & ſatisfactio, prædicatio Evangelii, & Vocatio univerſalis omnium & ſingulorum Hominum, contra diſertam Scripturam, *Matth.* 7. 23. & 25. 41, *Rom.* 9. 11. *Joh.* 10. 15. & 17. 9. *Eph.* 5. 25. *Hebr.* 9. 28. *Pſal.* 147. 19, 20. *Matth.* 20. 16.

ζ. Voluntate hâc *Antecedente* Deum conſtituiſſe *ἀντι* *pro* univerſale pro omnibus omninò Hominibus perditis, ut, ſalvâ Dei juſtitiâ, ſalvari queant. Oſiander *Diſp. cit. Theſ.* 14. p. 7. Sic ergò τὸ *poſſe ſalvari*, ex mente Adverſariorum, Gratiæ Dei adſcribendum, τὸ *ἀκτῷ ſalvari* autem Homini, quod redolet Scholam *Pelagii*, & repugnat Paulo, *Phil.* 2. 13.

η. Media ad Converſionem & Salutem ſufficientia omnibus & ſingulis Hominibus dari, contra effatum Chriſti, *Matth.* 11. 25. & 13. 11.

θ. Omnipotentem Spiritûs S. operationem in Hominis converſione eſſe reſiſtibilem, contra Scripturam *Ezech.* 36. v. 26, 27. *Eph.* 1. 19, 20. *Phil.* 2. 13.

ι. Fidem ſalvificam non tantum eſſe Electorum, ſed & Reproborum, contra quàm iterum docet Scriptura, *Joh.* 20. v. 26. *Act.* 13. v. 48. *Tit.* 1. v. 1. *Eph.* 2. 8. *collat. cum Rom.* 11. v. 29. Taceo alia.

Non unum autem eſt, quod Adverſarii pro ſententia ſua confirmanda proponunt.

Urgent α. Locum *1. Sam.* 2. 30. ubi dicatur, Deum Voluntate *Antecedente* voluiſſe Sacerdotii dignitatem continuare in Familia Eli; at Voluntate *Conſequentē* contrarium voluiſſe, poſtquam vid. ipſius Eli, & præſertim Filiorum ipſius, peccata & ſcelera reſpexiſſet. Reſp. Deum in hoc loco ſermocinari non de decreto aliquo *conditionato*, & Voluntate *Antecedente*, ſed ſolum de promiſſionibus ſuis, quòd vid. promiſerit Sacerdotium in Familia Eli continuare, ſi ipſe & Filii ipſius in viis Domini ſint ambulaturi. Dixit autem hoc Deus, & pro-

promisit in prima Sacerdotij institutione, *Exod. 28. 43. & 29. 9.* ubi Aaroni & semini ejus sub hac conditione promittitur Sacerdotium. Jam Promissiones quidem agnoscimus *conditionatas*, at non Dei Voluntatem.

Vrgent  $\beta$ . Locum 1. *Sam. 13. 13. 14.* ubi dicatur, Deum Voluntate *Antecedente* voluisse stabilire Regnum Sauli, siquidem obedivisset: Voluntate verò *Consequente* illud noluisse stabilire, sed evertere. *Resp.* Textus ne  $\gamma\epsilon\delta$  quidem habet de Voluntate, aut Decreto Dei, qui est actus *immanens & aternus*, sed tantum de *externo & temporario* actu stabiliendi. Hinc non dicit Samuel, *Deum: voluisse stabilire Regnum Saulis, sed, Deum stabilivisset Regnum tuum usq<sup>3</sup> in seculum.* Non ergo ponunt hæc verba duas in Deo Voluntates, sed tantum insinuant, peccatum & rebellionem Saulis esse causam brevi desituri & in alium transituri Regni ipsius &c. Ut illud, *stabilivisset*, non respiciat ad certam aliquam Voluntatem, sed designet solum hanc veritatem *generalem*, Deum solere stabilire Regnum eorum, qui permanent fideles in Fœdere ipsius servando. Rupto enim Fœdere Dei causa continuandorum promissorum à parte Dei cessat, non quòd Deus ignoret, cum Fœdus cum ejusmodi Hominibus impiis, qualis fuit Saul, pangit, & promissionibus *conditionatis* vestit, eos violaturos pacta Dei: sed Deus utitur promissionibus conditionatis ad majorem olim eorum *ἀναπολογησίαν*.

Vrgent  $\gamma$ . Similia Patris, optantis & seriò volentis, ut Filius suus ipsi obediat, at non violenter eum ad obedientiam trahentis; nec non *Mercatoris*, merces suas salvas cupientis, sed, necessitate compulsi, eas in mare projicientis. Ita Deum, ajunt, compulsum malitiâ Hominum eos damnare, quos servare voluerit obedientes. *Resp.* Similia esse dissimilia. Alia enim est ratio Hominum, qui, licet seriò aliquid velint, non possunt tamen voti sui compotes fieri, nisi per media convenientia, quæ tamen in illorum non sunt potestate. Vnde fit, ut frequenter spe suâ excidant, & intentione frustrentur: alia verò ratio Dei, in cujus potestate sunt non solum finis, sed & media omnia, ad obtinendum finem necessaria: quæ causa, quòd spe suâ excidere, & intentione frustrari nequeat. Ut ergò Exempla allata huc quadrent,




ita ab Adversariis proponi debent. An Pater, qui novit, Filiū suum non futurum morigerum, nisi hanc illi mentē & voluntatem infundat, nolit tamen, quamvis possit, dici queat seriò velle, desiderare & intendere Filii obedientiam? An Mercator, cui notum, merces suas non posse conservari, nisi tempestas comprimatur à se, licet possit, non velit tamen, seriò debeat dici cupere merces suas salvas? Si ejusmodi exempla producerentur, quibus constaret, Creaturam rationalem posse velle seriò & ardentè id, quod tamen se novit nunquam facturā, cum tamen facere possit, & cum ab ea sola eventus certè pendeat, facilè fraus pateret, & id ab Adversariis Deo affingi, quod Creaturis, rectā ratione utentibus, non posset tribui,

2. Paulum in hoc loco non agere de Voluntate aliqua Dei *Antecedente*. Ratio: Quia, secundum Adversariorum doctrinam, Deus eā aliquid vult ante omnem Hominis actum. At Voluntate hāc, quā juxta Apostolum, Deus vult πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, Deus non vult omnium & singulorum Hominum salutem ante omnem illorum actum. Ratio Rationis: Quia Paulus non loquitur in *Præterito*, vel in *Aoristo*, sed in *Præsenti*, & dicit: ὅς πάντας ἀνθρώπους θέλει σωθῆναι, qui omnes Homines vult salvos fieri, adeoque sermocinatur de æterna, certissima, immutabili, & in perpetuum duratura Dei Voluntate, quā non solum ab æterno voluit, sed & in præsentī vult, & in æternum volet omnium Hominum salutem. At dici nequit vel in tempore *præsenti*, vel in tempore *futuro*, Deum omnium Hominum, ante omnem illorum actum, salutē velle vel voliturum sub conditione Fidei & Resipiscentiæ! Quoniam verò Adversarij per Syncategorema, omnes, intelligunt singula generum, i.e. omnes & singulos Homines, tam *Reprobos*, quàm *Electos*, de utrisque in præsentī hoc probandum. Et quidem, quod ad *Electos* attinet, an, quæso, de illis in tempore *præsenti* dici potest, quòd Deus ante omnem illorum actum eos velit salvari sub conditione Fidei & Resipiscentiæ, cum innumeri conditionem hanc jam impleverint, & per media finem obtinuerint, quàm plurimi alij, etiam si metam nondum attigerint, in studio tamen & studio strenuè sint occupati, & cum timore & tremore salutem suam operentur, reliquosque Deus ex æterno & immutabili suo decreto, quo  
eos



eos ad finem & media prædestinavit, prævideat certò credituros, & salutem æternam consecuturos. Si ergo in tempore *presenti* hoc dici nequit, multò minus id dici poterit in tempore *futuro*, & quidem post habitum ultimum Judicium, quoniam illa conditio à singulis jam erit impleta, & gloria æterna obtenta. Quis enim sanæ mentis dicere aufit, Deum alicujus salutem ante omnem illius actum, sub conditione Fidei & Resipiscentiæ, velle eo tempore, quo conditionem jam implevit, & portam salutis æternæ introivit. De *Reprobis* faciliùs id est demonstratu. Præterquam enim, quòd Deus nullius salutem velit, an, quæso, vel nunc dici potest, Deum sub conditione Fidei & Resipiscentiæ eorum salutem velle ante omnem illorum actum, quando innumeri ob demerita sive peccata sua æternis & nunquam finiendis cruciatibus dudum sunt addicti & damnati, infiniti alii, poenitere nescii, & increduli existentes, sceleribus suis sibi ipsis velox accersunt exitium, reliquisque Deus, ex immutabili & irrevocabili consilio, decrevit Fidem & Resipiscentiam non dare, sed ob peccata sua eos in æternum damnare: vel etiam idem dici poterit post habitum ultimum Judicium, quando reprobi omnes & singuli propter peccata sua, citra omnem liberationis spem, jam erunt in Tartarum demersi, & in ignem æternum, Diabolo & Angelis ejus paratum, conjecti. Rectiùs proin dicitur, Deum omnium & singulorum & solorum Electorum salutem ab æterno in æternum velle, Reproborum autem nunquam voluisse, nunquam velle, nunquam voliturum.

Καὶ τῶτα μὲν εἰς τῶτα.



## COROLLARIA.

### I.

*Christus non solum passione & morte suâ poenas, peccatis nostris debitas, exsolvit, sed & suâ obedientiâ jus vitæ æternæ nobis acquisivit.*

### II.

*Christus non Personam, sed Humanam naturam assumpsit, cum suppositum communicari nequeat.*



### III.

*Opera Creationis cujuslibet diei in momento facta sunt.*

### IV.

*Patriarchæ Sabbathum observarunt, deq; eo Præceptum habuerunt.*

### V.

*Christus licet in S. Cæna non sit præsens localiter & corporaliter, realiter tamen adest & substantialiter.*

### VI.

*Per spiraculum vitarum Gen. 2. 7. intelligitur omninò Anima rationalis.*

### VII.

*Anima non accenditur velut lumen à lumine, sed divinitus creata infunditur.*

### VIII.

*Musica Instrumentali non minùs, quàm Vocali publicè Deum laudare licet.*

### IX.

*Periculosa sunt Philosophorum quorundam dogmata, Animam rationalem, eò quòd non sit extensa, nullibi esse, nec posse moveri, ejus essentiam in sola cogitatione consistere, eandem, ut & Angelum, in loco esse ratione solius operationis externa, & quæ sunt alia hujus furfuris.*

### X.

*Plures mundos esse posibles nec ex parte Dei, qui Omnipotens est, nec ex parte rei, quæ finita est, repugnat.*

### XI.

*Non datur duplex Infinitum, alterum Perfectione, alterum extensione.*

### XII.

*Justificatio nostra nec ex operibus, nec ex fide prævisa fit.*

F I N I S.